

Porro prophetavit Jonas non prioribus annis regni Jeroboam, quibus regnavit cum Amasia rege Juda, uti opinatur a Castro lib. IV *Proemii*, cap. III; sed posterioribus, quibus ipse regnavit cum Azaria filio Amasie. Nam sub Jeroboam et Ozia, vel Azaria, qui quinquaginta duobus annis regnavit, cepit prophetare Osee, ut patet Osee, cap. I, 1, qui fuit primus omnium Prophetarum.

Quando prophetavit? Jonas missus ad Sardanapalum.

Hinc sequitur Jonam prophetasse paulo ante initia urbis Romæ, puta regnante Sardanapalo, quem Gentilium Historici ponunt ultimum regem Assyriorum. Sardanapalus enim vixit tempore Jeroboam regis Israel, et Ozie regis Judæ, quo tempore Procas Sylvius avus Romuli regnabat in Latio, teste Eusebio in *Chron.*, S. Augustino, lib. XVIII *Civit.* cap. XXI, et S. Hieronymo, initio *Comment. in Amos*, de quo plura cap. III, 5. Ex hac chronologia magna lux oritur prophetie Jonæ. Ex ea enim videmus causam, cur Deus præter morem Prophetam hebræum miserit ad Ninivitas gentiles, et valde remotos. Nimirum causa fuit, quod eo tempore Ninivitarum mores erant corruptissimi et flagitiosissimi, ita ut clamarent in cœlum, poscerentque vindictam et fulmen, quod Deus hic eis per Jonam intendat. Id ita fuisse discimus ex eorum rege Sardanapalo: nam « regis ad exemplum totus componitur orbis. » Sardanapalus enim fuit mollissimus et effeminatissimus, quem Arbaces Medis præpositus, inquit Justinus lib. I, « invenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu, cum molliæ corporis et oculorum lascivia omnes feminas antereat, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali femine tantum virorum subjectum, ad socios refert quid viderit, negat se ei parere posse, qui se feminam mali esse quam virum. Fit igitur conjuratio: bellum Sardanapalo inferitur; quo ille audito, non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis malieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur, victus in regiam se recipit, et extructa pyra, se et divitias in incendium mittit, hoc solo imitatus virum. » Inde a Græcis dicitur est Sardanapalus, id est morio: proprium enim ejus Assyriacum nomen erat Tonosconcoleros, teste Eusebio in *Chron.*, et aliis. Hinc et Sardanapali nomen in proverbium abiit, significatque hominem mollissimum et effeminatissimum. Ita Aristophanes in *Avibus*: « Quis, ait, hic Sardanapalus? » Moriens ipse hoc sibi epitaphium condidit:

Ede, hibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Et:

Cum te mortale noris, presentibus exple Delicis animam, post mortem nulla voluptas.

Vel, ut Cicero, III *Tuscul.*: « Quomodo, inquit, jucunda via potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? ex quo Sardanapali opulentis-

sini Syriæ regis error agnoscitur, qui incidit jussit in busto:

Hæc habeo que egi, quæque exarsurata libido Hæsit, ad illa jacent multo et præclara relicta.

« Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulchro inscriberetur? Hæc habere se mortuum dicit, que ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur. » Hinc Juvenalis, *satyr.* III:

Et venere, et comas, et plumis Sardanapali.

Regem imitati cives opulenti, ventri et veneri se pariter dederunt, indeque in omnia scelera prolapsi sunt, ut mererentur a cœlo siderari, vel a terra dehiscente sorberi. Mittitur ergo a Deo clementissimo Jonas, qui scelera hæc arguat, et imminens exitum commineatur. Jonas, onus hoc detrectans, fugit in Tharsis: sequitur eum a tergo Deus, procellam in mari excitat: nautes factus sortis, ex indicant Jonam fluctuum causam. Mittitur ille in mare æstuans, sorbetur a cœlo; in ventre cœli Deum invocatur, exauditur, liberatur, die tertio a cœlo in litus evomitur. Sapit Jonas, Deo obediens vadit in Niniven, contenta voce clamatur: « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. » Percelluntur Ninivite, respiciunt, penitentiam agunt in cinere et sacco. Placatus Deus minas revocat, urbi parci. Indignatur Jonas sua oracula non implori, sed Deus per hederam et vermem docet eum, clementiæ esse penitentibus parcere.

Nota: Postmodum Ninivite ad ingenium et scelera sua redierunt; unde post Jonam missus est ad eos Nahum, qui iterum excidium eis intendaret, quod reipsa eis inflicium est, uti dicam *Nahum*, cap. II. Hoc est quod Tobias moriens, cap. XIV, 13, filiis suis mandat, ut fugiant ex Ninive: « Video enim, inquit, Deus quinquaginta annis finem dabit ei. » Ubi Septuaginta, uti recitat S. Hieronymus hic in *Prologo*, vertunt: *Fili, ecce senes, et in eo sum ut revertar de vita mea: tolle filios tuos, et vade in Mediam, etc.* Scio enim que locutus est Jonas propheta de Ninive, quantum subvertetur. Unde patet ad penitentiam Ninivitarum, Dei de eorum excidio sententiam non fuisse plane abolitam, sed suspensam duntaxat: ipsis enim ad scelera sua redeuntibus, Deus laxavit manum suam, sententiam revocavit, et exitum a Jonæ comminatum eis inflixit (1).

(1) Contra veritatem historicam libri Jonæ nihil tentatum tum increduli, tum rationalistæ diis-runt. Quorum difficultates, veluti omnium nomine loquens, sic collegit Rosenmuller: Exiguae molis liber, stylo simplici et plano conscriptus, sed in quo plura continentur mira, inæditia, imo portentosa similia. Ac primo quidem, maximam admirationem movere illud oportet, quod vates hebræus, Joviano cultui addictus, missus narratur ad Ninivitas, qui Deorum simulacra colerunt, ut illis, nisi respuerit, urbis interitum minaretur. Quis non expectet hominem a Ninivitis tanquam insanum et mente captum ludibrio et risu exceptum, probrisque

Jonas ty-gas Cæcili petentis et resur-gentis.

Allegoricæ, Jonas unus ex omnibus Prophetis, missus ad gentes, atque a cœlo absorptus, et tertio die resitutus, expressus fuit typus Christi gentes vocantis, patientis et resurgentis, ut patet *Math.* cap. XII, 40; de quo plura inferius, cap. II, vers. 11.

Unde S. Augustinus, lib. XVIII *Civit.* xxx: « Jonas, ait, non tam sermone, quam sua quadam passione prophetavit, profecto apertius quam si ejus mortem et resurrectionem videremus. » Denique Jonas, vitæ sanctitate illustris, catalogo

theologus Bonnensis. Evenisse autem hæc fere judicat: Jonas a Jova jussus Ninivitas monere, ut respiciant et mores emendant, non paruit, sed navem conscendit Tartessum petentem, qua fracta, incolomis modo quocumque servatus est. Detrectatis cum eo penituisse, Niniven profectus ejus civitas servata est. Cætera fictioni poetice tribuenda sunt.—At tum questio oritur, quam ratione quove consilio illa figmenta de pisce atque de ricino sint nata?

Quarto, rationem novam difficultates amolendi, ita tamen ut rebus in eo narratis non derogetur fides, excogitavit H. A. Grimm, theologus Duisburgensis. Ex ejus sententia, cum Jona in novi interiori metum inter et anxietatem fluctuaret, meditatio de eo quod ausus esset, somnium peperit, quod a cap. I, 6, ad cap. III, 1, usque describitur. Quibus admissis, Jonas a pisce non deglutitur, sed hoc somniant visum est.—Verum hæc interpretatio, juxta eundem Rosenmuller, nullo idoneo argumento nititur. Nam quod Jonas, cap. I, 5, dormivisse dicitur, minime arguit, quod deinceps narratur in somnio ipsi objecta esse. Nec verisimile est, scriptorem historie sue somnii narrationem immiscuisse, lectore ne verbulum quidem ea de re monito.

Quinto, que in hoc libro narratur certe cuidam fundamento superstructa esse, nec dubitat, qui vel ex novissimis de rebus Jonæ inquisivit, J. D. Goldhorn, ecclesiasticus Lipsiensis, sed, cum longo temporis intervallo vulgi ore propagata essent, multis illa accessibus aucta, exornata et ampliata censet. Sic, ut mirabile factum præ omnibus aliis producamus, sorte Jonam designante, is, ut placuerunt dii, in mare projectus, sed tabulam aut cybarum tactus, salvus et incolomis litus attingit. Hæc interpretatio aspidularum Eichenorus.—Quomodo vero hæc fabulosa, ut dicitur, decursu temporum, adjuncta esse historia, probetur, aut qua fides amplius quibuslibet historicis adhibenda sit, si id admittatur, nullo modo curant isti interpretes.

Secundo, alii omnem hanc narrationem pro fabula habere eo fine composita, ut utilem aliquam et salutarem doctrinam commendet et inculcet, tutissimum judicant. Præcipui sunt Semler, J. D. Michaelis, C. F. Hezel, H. E. G. Paulus, J. G. A. Müller, J. H. Pareau, De Wette, Winer, etc. Gesenius, Rosenmuller et Maurer in extremam audaciam partem deveniunt, asserentes ne probabile quidem esse que hic narrata leguntur, certo cuidam fundamento historico superstructa esse. Scripserunt, inquit, narrationem ad certum quendam finem a se compositam Phœnicum, de Hercule a maximo monstro devorato, sed incolomi inde egressu, ad Judeos quoque, ut credibile est, perlatum.

Hujus vero fabule consilium (quod potissimum spectari debet in hujusmodi narrationibus), quale sit, inter se dissentiant isti interpretes. Sunt qui hæc fabula Hebræos moveri existimant, injustum esse odium isorum in alios populos, quos Deus pari amore prosequatur; et quorum non minus quam Hebræorum miseretur (sic cum Semlero J. D. Michaelis, Eichenorus Jona historia doceri arbitratur, populos alios, ut idolorum cultui addictos, pietate tamen et animi prohibita hebræo populo longe antecellere, et prout divino favore esse dignissimos. Hegelus fabule consilium eo refert, quod nomen propheticum, quamvis difficile et alæ plerumque, tamen

Tertio, rem vero gestam, sed ornata poetico decoratam librum Jonæ complecti censet Thaddæus a S. Adamo,

Sanctorum ascriptus est in Martyrologio die 21 septembris. Idipsum patet ex visione, qua prae- ter morem Prophetarum et veteris Testamenti sanctorum, quasi sanctus sancto monacho ex hac vita emigranti apparuit. Recenset eam S. Gregorius lib. IV Dial. cap. xxxiv: « Quidam, ait, noster religiosus vir vite valde laudabilis, cum ante hoc quadraginta moreretur, etc., in hora exi-

handpaquam detrectare debeat se cui a Deo mandatur, cum per prophetas Deus etiam in populis incultis et nulla Jovis notitia imbutis, effectus maxime salutaris predicat, quibus molestias, quas vates subeat, non sint equiparanda. Paulus parabola ista doceri existimat, Deum minus gravissimas, vel in alios populos pronuntiatas, revocare et tollere, si moniti vitia abolerant, atque vitam morisque emendant. Idem ac precedentes fere sentiunt, Muller, Pareau, etc.

Teatro, in libro Jonae veram historiam nobis proponi evincunt primo, tradito universalis Judaeorum quo agunt Rabbini antiquiores, in Talmud, apud Josephum, Antiq. IX, x, 49 in versione graeca libri Tobiae, xv, 5, reperitur. Secundo, tradito Ecclesiae christianae ab ipso Christo inchoata et confirmata, Luc, xi, 32. Cf. Matth. xii, 41, quomodo omnes SS. Patres amplecti et uno ore professi sunt usque admodum S. Augustinus dixerit: « Jonas propheta non tam sermone Christum quam sua quadam passione prophetavit. » Tertio, in libro Jonae occurrunt characteres historiae, nomina propria, nempe Joppe, ubi Jonas naves conscendit, Tharsis, quo navigare meditabatur, Ninives ubi predicavit, minuta rerum circumstantiae, etc., quae parabola haud inseruntur; nam parabola ille sunt, ubi ponuntur exempla, et taceantur nomina » ait S. Chrysostomus. Quarto, ex factis miraculis quae in hoc libro continentur, non recte concludi potest illa miras esse fabulas vel allegorias; alioquin plerumque hujus generis facta quae nobis exhibet tum vetus, tum novum Testamentum, in allegorias essent convertenda. Quinto, Rosenmüller ipse, licet pro fabula stet, multa tamen argumenta (quae supra producimus) adfert quibus sanmetipso, sententia ejusque consortium labefactatur. Caeterum proprias responsiones ad jusque facti explanationem indigitabimus.

tus sui Jonam prophetam, Ezechielem quoque et Daniielem cepit aspicere, eosque dominos suos ex nomine clamare: quos dum ad se venisse diceret, et, depressis luminibus, eis reverentiae obsequium praebere, ex carne educus est. » Porro Jonam cum Christo resurrexisset inter sanctos Prophetas, qui fuerunt testes resurrectionis Christi, ac eum eo in anima et corpore gloriosum ascendisse in caelum, probabiliter censent nonnulli, de quo plura cap. II, sub finem (1).

Linguae hebraeae hujus libri varis verbis chaldaicis mixta est; quare Jahn, Maurer et alii illum librum recentiori aetate, scilicet post captivitatem Babylonicaem, et destructionem Ninives compositum fuisse credunt. Verum character linguae libri, juxta observationem Janssen, non semper est clarum testimonium illius aetatis.

(1) Ille habes nomina eorum qui scriptis peculiaribus Jonam illustrandum aggressi sunt.

— Ex catholicis, Theophylactus, Joannes Catar, 1550; Joannes Forus, 1567; Franciscus Peardentius, 1594; Rochus Mamerotus, 1575; Georgius Mayrus, 1632-1649; Sebastianus Tuscianus, 1578; Joannes Tremisus, 1633; Joannes Baptista Uwenus, 1640; Gabrieli Acosta, 1641; Franciscus de Salinas, 1692-1695.

— Ex aethiolicis, praeter Lutherum, J. Brugenhagen, 1560-1561; Petrus Baro, Praefat. xxxix in Jonam, 1579; Franciscus Junius, 1549; Balthasar Schellius, 1659-1665; Joannes Linsen erimundus opus in Jonam scripsit, 1793; Hermann von der Hardt, 1723; J. Th. Lessing, 1780. Potissimum indigere libet opera eorum qui ex heterodoxis veritatem historiam libri Jonae propagaverunt; Theop. Col. Piper, Dissertatio critico-biblica historicae Jonae a rectorum concilio vindicantem sistens, Giphiae, 1786, in-4; Joh. Balthas. Luderwald, Ueber Allegorie und Mythologie in der Bibel, insonderheit in Absicht auf den Propheten Jona und andere Wunderergoehelichen, Helmstadt, 1787, in-8; Henr. Christoph. Grieseler, De verisimillima librorum Jonae interpretatione Dissert. I et II, Viteb, 1794, in-4; J. H. Verschoor, Dissert. de argumento libri Jonae ejusque veritate historica, Ultraject, 1811.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus mittit Jonam ad Ninivitas; ille fugit in Tharsis; Deus eum insequitur, ventum et procellam in mari excitat: nauta jaculant sortes ut causam, puta reum, deprehendant; sors indicat Jonam; ille fugae culpam agnoscit, atque: Tollite me et mittite in mare, et cessabit mare a vobis. Mittitur in mare, et mox procella sistitur.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: 2. Surge, et vade in Ninive, civitatem grandem, et predica in ea: quia ascendit malitia ejus coram me. 3. Et surrexit Jonas, et fugerit in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. 4. Dominus autem misit ventum maguum in mare: et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. 5. Et timuerunt nauta, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa, quae erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. 6. Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitit Deus de nobis, et non pereamus. 7. Et dixit vir ad collegam suum: Venite, et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: et cecidit sors super Jonam. 8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quae terra tua, et quo vadis? vel ex quo populo es tu? 9. Et dixit ad eos: Hebraeus ego sum, et Dominum Deum caeli ego timeo, qui fecit mare et aridam. 10. Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cogoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.) 11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis? quia mare ibat, et intumescibat. 12. Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas haec grandis venit super vos. 13. Et remigabant viri ut revertentur ad aridam, et non volebant quia mare ibat, et intumescibat super eos. 14. Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Quisumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. 15. Et tolerunt Jonam, et miserunt in mare, et stetit mare a fervore suo. 16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, etnaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST. — Vocula et non habet hic vim copulae; nihil enim praecessit quod sequentibus copulet; sed more hebraeo dat narrationi et libro initium, ejusque est index. Hinc Ezechielem quoque sic incipit: « Et factum est. » Vide ibi dicta.

VERBUM. — Chaldaeus: Verbum prophetiae Domini. Prophetia enim nunc dicitur viso, nunc verbum Domini, ut dixi Isaie cap. I, 1.

AD JONAM FILIUM AMATHI. — Ex hoc loco probare contendunt Hebraei, Jonam fuisse filium viduae Sareptane; quia, inquit, fuit filius Amathi, id est veritatis, eo quod mater, eo ressusci-

tato, ad Eliam cum suscitante dixerit: « Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est. » III Regum, cap. xvii, 24. Verum haec frivola sunt. Clarum enim est ad litteram non matrem, sed patrem Jonae nominatum fuisse Amathi.

ALLEGORICE JONAS EST CHRISTUS, qui est filius Amathi, id est veritatis, quia ipse Verbum est Patris et Sapientia genitae; Deus enim veritas est, ait S. Hieronymus. Hujus Jona filius est S. Petrus (fuit enim ipse Bar-Jona), cujus proinde veritas et fides nunquam deficiunt, ut pro eo Patrem oravit et impetravit Christus, Luc. cap. xxii, 32.

VERS. 2.
NINIVE
EYRAOS
ET SIGIL
SCALIO.

2. SURGE, ET VADE IN NINIVEN. — *Ninive* hebraice primo, idem est quod pulchra, speciosa, a radice *נִיב* *nave*, id est species, pulchritudo. Ita S. Hieronymus et Pagninus in *Interpret. Nom. Hebr. Secundo*, idem est quod habitata, frequens, plena populis et domibus; a radice *נִיב* *nava*, id est habitavit. Ita Pagninus ibidem. *Tertio*, præcie et gentine Ninive dicta est quasi Nini *נִיב* *nave*, id est Nini habitatio, Nini regia, Nini civitas. Ita Serarius, in *Judith* cap. I. *Quæst. VI.* Unde et Ninive quandoque vocatur *Ninas*, quandoque *Nina*. Porro Ninive fuit urbs potentissima, in qua prima Assyriorum monarchia sedem suam fixit, tenuitque mille annos et amplius. Sita est non ad Euphratem, ut scribit Diodorus lib. II, sed ad Tigrim fluvium, ut asserit Ptolemeus lib. VI, cap. I, Plinius lib. VI, cap. XII, Herodotus lib. II, et alii passim. Conditam esse ab Assur filio Sem, filii Noe, censet Josephus lib. I *Antiquit.* cap. VII, et S. Hieronymus in *Loci Hebr.*, idque probant ex illo *Genes.* cap. X, 11: « Ex illa terra egressus est Assur, et edificavit Niniven. » Verum ibidem ostendi per Assur intelligi Ninum, qui fuit conditor regni Assyriorum. Ninus ergo edificavit, et ex nomine suo nominavit Niniven. Ita docet Eusebius in *Chron.* Beda in *Genes. Quæst. LXIX.* Strabo lib. XVI, S. Augustinus lib. XVI *Civit.* III, Diodorus lib. II, et alii. Quanta et quam ampla fuerit Ninive ostendam cap. III. Porro mittit Deus Jonam in Niniven, ut ostendat se Deum esse non tantum Judeorum, sed et Gentium, earumque curam habere et providentiam, etiamsi corruptissime sint et pessime. Jonas enim hic mittitur in Niniven quasi in novam Sodomam: « In condemnationem Israel, ait S. Hieronymus, Jonas ad gentes mittitur, quod Ninive agente penitentiam illi in malitia perseverent. »

Allegorice S. Hieronymus: « Christus est Jonas, hoc est columba, sive dolens; vel quia Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit et mansit in eò; vel quia nostris doluit ipse vulneribus, et flevit super Jerusalem: et a livore ejus sanati sumus. Vere filius veritatis mittitur ad Niniven pulchram, id est mundum, quo nihil pulchrius oculis carnis aspicimus: unde et apud Græcos *κόσμος* (mundus) ab ornatu nomen accepit; ut, quia Israel contempsit, lotus Gentium mundus exaudiat. Et hoc propterea, quia ascendit malitia ejus coram Domino. Cum enim Deus quasi quamdam pulcherrimam domum servituro sibi homini extruxerit, depravatus est homo propria voluntate, etc., et extructa turri superbiæ, meretur ad se descendente Filium Dei; ut per penitentiam ruinam consendat ad celum, qui per tumorem superbiæ non potuit. » Rursus Christus misit S. Petrum et Apostolos quasi suos Jonas in mundum: sicut enim Jonas homo abjectus et ignotus convertit Niniven urbem potentissimam et maximam; ita Apostoli piscatores converterunt totum orbem.

PRÆDICA IN EA, — non penitentiam, ut vult Arias, sed excidium, nimirum: « Adhuc quadragesima dies, et Ninive subvertetur; putabat enim Jonas hanc prophetiam esse absolutam, non comminatoriam. Unde videns eam fuisse comminatoriam, Deum Ninivitis penitentibus parcere, indoluit, cap. IV, vers. 2. »

QUIA ASCENDIT MALITIA, — *q. d.* Scelera Ninivæ tanta tamque publica et impudentia sunt, ut vindictam clamant in celum, ut flagellum mihi extorqueant, ut silere, ut dissimulare ultra non possim. Sic dicitur *Genes.* cap. XVIII, 20: « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. » Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Remigius, Vatablus et alii. Punctim, sed nervose S. Gregorius III part. *Pastor.* cap. XXXII: « Peccatum cum voce, inquit, est culpa cum actione; peccatum cum clamore, est culpa cum libertate. » Et S. Augustinus in *Enchiridion.* cap. LXXX: « Peccata, ait, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo, ut non solum non occidenda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur. »

3. UT FUGERET.

Quo fugis, Bacchade? quascumque accesseris oras
Sub Jove semper eris.

Credidit et cecinit ethiæcus Poeta, IV *Trist.*:

Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.
Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferis suppositumque Deo.

Tu, o Jona fidelis, imo Propheta, idipsum ignorasti? Deine omnipotentis oculos et manus te effugere posse credidisti? non credo. Quid ergo fugis Deum? namquid Non crebro in templo psallentes levitas audisti? « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in celum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennis meas dilucum, et habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua, » *Psal.* CXXXIII, 7.

Pulchre S. Chrysostomus, hom. *De Jona*, docet Jonam fugientem esse typum peccatorum, qui quasi ebrii non advertunt quo eant, ubi pedem figant, sed cupiditatem sequentes propria precipitantur insaniam.

Censent Nazianzenus in *Apolog.*, et S. Hieronymus, causam fugæ Jonæ fuisse pietatem nimiam in gentem suam, ne ea periret; propheticum enim spiritu Jonam cognovisse tunc Israelitas perituros, cum gentes credidissent; « eo quod penitentia gentium ruina sit Judeorum, ait S. Hieronymus. Idcirco amator patriæ suæ non tam salutem invidet Ninivæ, quam non vult perire populum suum. » Et mox: « Dolet se so-

VERS. 3.

Causa
fugæ
Jonæ.

lum electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, et ad civitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignorantia Dei. Et, quod his majus est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ illis conversis ad penitentiam, Israel penitus relinqueretur. » Hinc *secundo*, Lyranus et Clarius censent Jonam extimuisse potentiam et magnificentiam urbis et regis Ninivæ, ejusque hostilitatem contra Judæos, qualis ipse erat. *Tertio*, veram et genuinam fugæ suæ causam dat ipse Jonas cap. IV, 2: « Numquid, ait, non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multa miserationis, et ignoscens super malitia. » Fugit ergo, quia presumentibus penitentiam acturos, et Deum penitentibus parciturum, itaque se quasi falsum prophetam irridendum fore. Ecce quibus umbris vane vanus conturbatur homo. Quid times, o Jona, nomen mendacis, cum Deus idipsum non timeat? in eum hoc probrum recidit, non in te: ille enim est legatus, tu legatus. Mendax non est qui minatur penam, si per minas mutant vitam pareat. Hec enim conditio mutat statum rei, ideoque excipitur. Quod enim minatur Deus dicitur: « Adhuc quadragesima dies, et Ninive subvertetur, » intellige, si in sceleribus suis persistis, si vitam non mutet. Ideo enim minatur Deus, ut peccatores minis terribi vitam corrigant, itaque penam comminatum evadant: « Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite, » *Ezech.*, cap. XVIII, 32. Jonam sequuntur concionatores, honoris sui, non divini, studiosi, qui auram popularem aucupantur, qui ingenii sui theatrum, facundie suæ laudem venantur.

IN THARSIS. — Nota, a Tharsis nepote Japhet, *Genes.* cap. X, 4, ortos esse Cilicæ, indeque Tharsis Cilicæ urbs nomen accepit. Porro quia Tharsenses et Cilicæ tunc maris erant domini, et navibus opibusque potentes; hinc omnia vicina loca, mareque vicinum dictum est *Tharsis*. Inde extensa vocis significatione per synecdochen, puta ex parte maris Tharsensis totum reliquum mare Mediterraneum, imo quodvis vastum mare, præsertim Carthaginiensium (qui navigatione fuerunt celebres), ac tandem ipse Oceanus dicitur esse *Tharsis*. Hinc et chrysolitus (gemma), quia coloris est marini, dicitur esse *Tharsis*, uti ex S. Hieronymo, Josepho et aliis docui *Isata*, cap. II, 16.

Quæres quid hic significet *Tharsis*? *Primo*, S. Hieronymus, Chaldeus, Ribera et alii per *Tharsis* accipiunt mare. Jonas enim avidus, fugitivus et vagus, non certum locum, sed quemlibet obvium fugæ suæ destinabat, ideoque fugit ad mare; tantum enim faciem Domini effugere satagebat. « Non, » inquit S. Hieronymus « Pro-

pheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens quocumque pergere festinabat: et magis hoc convenit fugitivo et timido, non locum fugæ otioso eligere, sed primam occasionem arripere navigandi. » Et mox: « Postquam illum (Deum) sensit in fluctibus, confitetur et dicit: Hebræus ego sum, et Dominum cæli limico, qui fecit mare et aridam. Si autem ipse fecit mare et aridam, cur aridam relinques, arbitraris te conditorem maris in mari posse vitare. » Nimirum volebat Jonas longissime fugere a facie Domini, hinc fugit ad mare; qui enim ad mare et ad transmarinas regiones navigant, videntur celum et terram omniaque elementa mutare, et in novum orbem trajicere. Ille sensus erat Judæorum: unde remotissimas regiones vocabant *mare et insulas*. Hinc Psaltes, significans remotissimas gentes venturas ad Christum, dicit: « Reges Tharsis (id est maris) et insulæ munera offerent. » (*Psal.* LXXI, 10); et Isaias, cap. LXVI, 19: « Mittam eis eis qui salvati fuerint, ad gentes, etc., ad insulas longe. » Addit S. Hieronymus: « Simulque instruitur (Jonas) per salutem conversionemque naufragum, etiam tantam multitudinem Ninivæ similis posse conversione salvari. » Allegorice de Christo: « Possumus dicere quod dimiserit domum et patriam suam, et assumpta carne quodam modo de cælestibus fugerit, veneritque in Tharsis, id est in mare hujus sæculi, secundum illud *Psal.* CIII: « Hoc mare magnum et spatiosum manibus. » Anagorice idem S. Hieronymus: « Tharsis, ait, interpretatur contemplatio gaudii: veniens ad Joppen Propheta, que et ipsa speciosa sonat, ire festinat ad gaudium, et quietis beatitudinem perfrens totum se tradere theorie: melius esse arbitrans pulchritudine et varietate scientiæ perfrui, quam per occasionem salutis gentium celebrandum, perire populum de quo Christus in carne gerendum sit.

Secundo, Theodoretus et Theophylactus per *Tharsis* intelligunt Carthaginem. Sic et Vatablus. Per *Tharsis*, ait, intelligit Tunetum, vel Carthaginem, urbes Africæ. A Tuneto enim facilis est navigatio in Joppen, et vice versa a Joppe Tunetum. Sic et Mariana per *Tharsis* accipit Carthaginem, aut Tunetum, quæ etiam arabice *Tharsis* vocatur. Rursus P. Pineda, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XV, in fine, per *Tharsis* accipit Tarsesum, et Boticam, censetque Jonam voluisse fugere in Hispaniam, idque multis conjecturis probare contendit.

Tertio, verius alii per *Tharsis* accipiunt Tharsum urbem Cilicæ, ipsamque Ciliciam. Unde Tigurina vertit, *Tharsum*. Probatur primo, quia Tharsis primo et proprie significat Tharsum et Ciliciam, ut paulo ante dixi. *Secundo*, quia qui volunt transfretare mare, necessario sibi aliquem locum in confuso, quo transferantur, proponunt, dicuntque sibi, v. g. Volo transfretare in Italiam,

vel in Africam, vel in Indiam. Nemo enim in mari habitare vult aut potest. Ergo et Jonas ivit ad mare, ut tenderet Tharsum, vel certe in Ciliciam in confuso, nullam certam urbem animo destinans. Tertio, id significant verba Scripturae: « Inveniit euntem in Tharsis. » Navis enim non ibat ad mare, quia erat in ipso mari, sed per mare ibat in Tharsum. Rursum: « Descendit in eam ut iret cum eis (nautis) in Tharsis; nautae autem in certum locum, puta Tharsum, ire et navigare destinabant: ergo et Jonas qui idem destinabat, et eodem tendebat quo nautae. Quarto, quia si mare voluisset significare Propheta, clare dixisset: Fugit יָמָא iamma, id est ad mare: iam enim significat proprie mare, non aliud. Tharsis autem ambiguum est, et proprie Tharsum, improprie mare significat. Ita censent Josephus, lib. IX *Antiq.*, cap. xi, Rheticius Augustodanus apud S. Hieronymum, epist. 134 ad *Marcell.*; Tertullianus, lib. *De Fuga*, cap. x; Abulensis, Lyranus, a Castro, Villalpando in *Ezech.* cap. xxvii, 12, et alii. Dices: Quomodo ergo, vers. 8, nautae rogant Jonam: « Quo vadis? » Respondeo: Id rogant, quia certum et ultimatum terminum professionis Jonae ab eo discere volunt, ut sciant quo et quorsum vadat: sciebant enim eum ire secum in Ciliciam, et forte Tharsum; sed nesciebant quo ultimato, et cuius rei gratia tenderet. Tantum enim quaerunt hoc, ut cognoscerent viri statum, quis, qualis sit, quo tendat, quid agat, quid destinet. Id patet ex verbis nautarum: « Quod est opus tuum? quae terra tua, et quo vadis, vel ex quo populo es tu? » q. d. Quo tendis: quid in hoc itinere agere cogitas? quem scopum tibi destinās? Hoc enim in curribus et navibus a sese invicem percunctari solent vectores.

A FACIE DOMINI. — q. d. Ut a loco ubi ei locutus erat Dominus, ubi ei suam praesentiam exhibuerat, fugeret in remotissimas regiones, non quasi putaret Jonas se ibi Deum latere posse: erat enim Propheta; sciebat ergo Deum esse ubique, et omniscium: sed quod speraret Deum se ita profugum et renitentem ex remotissimis illis regionibus non revocaturum, nec remissurum in Niniven. Ubi nota: Facies Dei dicitur esse ibi, ubi Deus hominibus se et suam praesentiam, vel loquendo, vel miracula faciendo, vel opera divina vindictae aut clementiae patrando, exhibet. Sic dicitur *Psalm.* lxxvii, 2: « Exsurget Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut fuit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. » Et *Psalm.* lxxv, 5: « Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, cum ipse praesens eos concussit. Et *Psalm.* cxiii, 7: « A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob, cum ipse dans legem in Sina, montem ingenti terrae motu quassavit. »

Rursum, quia Deus in templo pontifici et sa-

cerdotibus, atque in Judea fidelibus, praesentiam Prophetis, suam praesentiam exhibere solebat; hinc facies, id est praesentia, Dei dicitur esse in Judea, et in templo. Unde ait *Psalm.* xli, 3: « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » in templo scilicet, ante Sanctum sanctorum, in quo super arcam, Cherubim et propitiatorium, quasi in throno residet Deus. Sic I *Reg.* i, 22, Anna ait Elcana de Samuele puero: « Non vadam (ad templum), donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter; » et cap. ii, 18: « Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, » id est in templo ante Sanctum sanctorum. Sic in *Levitico*, cap. i, 3, cap. iii, 1, cap. iv, 4, cap. v, 7, cap. vii, 28, et crebro alibi dicitur sacerdos stare, vel sacrificare « coram Domino, » haereticæ *Uphoe*, id est ante faciem Domini, puta in altari ante Sanctum et Sanctum sanctorum: fugit ergo Jonas « a facie Domini, » id est e Judea in Tharsis, quia in Judea et templo Deus censebatur peculiari modo esse praesens per singularem suum cultum, providentiam et opem, qua gentem suam respiciebat et dirigebat; ac per oracula, quae ferre dabat Prophetis in Judea, raro extra Judaeam, ita Hebraei, Theodoretus, Lyranus, Vatablus, Mariana et alii. Addit S. Cyrillus: « Censebant aliqui potentiam et imperium Dei solis Judaeae finibus circumscripti, et in ipsam quasi compactum, ab aliis regionibus excludi, et opinor hanc B. Prophetam tale quippiam secum cogitantem, a Judea ad urbes Graeciae discessisse. » Verum quis hoc credat de fidelis erudito, imo Propheta?

Moraliter, discite hic eum qui fugit a facie Dei vocantis et blandientis, incidere in faciem Dei indignantis et ulciscientis: ita Jonas, fugiens Deum vocantem, incidit in eum devorantem. « Jonas, inquit S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. xii, in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, cito sorhente repente devoratur, atque illic gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei lampas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; et qui auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Comprehendit ergo Dominus sapiens in astutia eorum, quando et hoc in usum suae voluntatis redigit, per quod voluntas humana sibi contradicit. » Jonas, sibi persuadens durum esse Dei imperium, fugit a Deo, qui, sibi obedientium est tula certaque salus, et credit se ventis sovientibus, mari instar lunae a qua regitur, instabili; fluctibus in coelum saepe sese attollentibus; nautis indelicibus, qui eum in mare proiecissent; navi, quae quatuor digitis e mari eminet, et a submersione mortisque non amplius distat, juxta illud Poetae: *Ubi haud*

I nunc, et ventis animum committite, dolote
Confusus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor:

tot enim limbus navis mari eminet. Idem facit stultus stolidisque peccator: relinquens enim creatorem, spes suas figit in creaturis, in quibus nil nisi inquietum, turbulentum, periculosum invenit, ac cetos et monstra, quae eum devorent. Ita Sanchez.

Ex adverso sapienter monet S. Augustinus in *Psalm.* lxx: « Qui vult, ait, fugere Deum iratum, fugiat ad placatum. » Ex Jona ergo docemur quomodo debere obedire Deo vocanti, ejusque vocationem capessere, idque ad quod vocat amplecti et exsequi: Dei enim est creaturas omnes, praesertim homines, regere et dirigere ad fines suos, iis viis et mediis, quibus ipsi placuerit. Deus etiam omnium est dominus, homines vero ejus servi sunt: illi ergo vocanti obedire debent, nullo promptius et alacrius, quam famuli principi vocanti obsequuntur: si quis enim id renuerit, princeps eum illico domo sua exturbat. Quidni idem facere jure suo possit, et de facto non raro faciat Deus? Est enim haec fuga, inobedientia et resistentia, Dei contemptus, injuria et vilipensio, quam ipse ulcisci solet, vel in hac vita vel in futura. Exstat emblemata Aleiati, ordine 17: *Qua diti vocant eundem:*

In trivio mous est lapidum; supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore laeta levata.
Mercurii est igitur tantulus: aspexerat, videtur,
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.
Omnes in trivio sumas, atque hoc tramite vitae
Fallimur, ostendit nam Deus ipse viam.

Hinc celebris Biantis gnome: « Sequere Deum, » ne te persequatur Deus. Nam, ut ait Seneca in *Hercul. Fur.*:

Sequitur superbus ultor a tergo Deus.

Et in *Thyeste*:

Res Deos nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et Ovidius, lib. VIII *Metamorph.*:

Immensa est, sineque potentia coeli
Non habet, et quidquid superi voluere, praeruptum est.

Idem, lib. X:

Cedunt Jovis omnia regno.

Et lib. V *Trist.*:

Plus valet humanis viribus ira Dei.

Ita Abraham Deum vocantem ex Ur Chaldaeorum secutus est in Chanaan, nesciens quo iret, ideoque tot benedictiones et temporales et spirituales a Deo accepit, *Genes.* xii, 1; *Hebr.* xi, 8. Ita Moses, Deum vocantem secutus, petiit a Pharaone missionem populi, ideoque tot signa et portenta patravit, ac tandem Pharaonem cum toto exercitu meris in mari Rubro. Idem fecerunt Josue, Gedeon, Samson, David, Isaias, Daniel, Osee aliqueque

Prophetae. Ita in lege nova, Christus secutus est Patrem vocantem ad predicandum, et moriendum pro salute hominum. Ita Apostoli, Christum vocantem ad labores et martyria secuti, facti sunt principes Ecclesiae militantis et triumphantis.

Legimus in *Vita S. Athanasii*, quod, cum S. Alexander episcopus Alexandriae animam ageret, successorem declaravit S. Athanasium. Ille hoc subodoratus fugit ut Jonas: vocavit eum Alexander aliquoties, at ille tacuit et se abscondit. Tum Alexander: « Fugis, ait, Athanasi, at non effugies. » Clerus enim et populus vim intulit S. Athanasio, eumque munus episcopale suscipere coegit: qui videns tandem hanc Dei esse voluntatem, illi obsequus munus suscepit, ideoque contra arianos columna, et hyperaspistes totius Ecclesiae a Deo effectus est.

Tota ergo sapientia, tota felicitas, totum bonum hominis in eo situm est, ut per preces, considerationes, elemosynas, jejunia, etc., exquirat quid Deus a se fieri velit, in quo statu, gradu, officio, opere velit sibi ab eo serviri; ac cognita Dei voluntate, illico eam exsequatur, illudque unicum et evidens signum est praedestinationis divinae, sequi Deum vocantem: sicut ex adverso signum et causa reprobationis est, nolle Deum, sed suas inclinationes, voluntates et cupidines sequi. Hoc enim quod ait Christus, *Joan.* x, 27: « Oves meae vocem meam audiant (ac consequenter haedi et reprobi eamdem non audiunt, id est ei non obediunt), et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. » Quocirca qui sapit, et cui sua salus curae est, hoc jugiter optet, hoc unum oret, ut Deus eum dirigat iis viis, occupationibus, negotiis et mediis, quibus praedestinavit eum ad aeternam salutem deducere, quibusque praeservit eum certo et infallibiliter ad illam perventurum. Hae enim viae, a Deo cuilibet preparatae et praedicate, securae sunt et certa, ac proinde nec peccati habent scandalum, nec salutis periculum, quod habent ceterae quas homines, sine dno Deo, sibi velut sapientes praescribere et intrare volunt: sibi Jonas hic, fugiens Deum, perdidit patriam; templum, Deum, Ecclesiam, et pene vitam, dum pro solida terra astuans mare; pro altari sacro profanum Tharsis elegit et accepit. Hoc est quod de Jacob et quolibet sequente Deum dicitur *Sap.* x, 10: « Haec (sapientia et providentia divina) » justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. » Et vers 17, de Hebraeis quos per desertum duxit in terram promissam: « Reddidit justis mercedem laborum suorum, et dedit illis in via mirabili (iter praecens per columnam ignis et nubis), et fuit illis in velamento diei; et in luce stellarum per noctem, transtulit illos per mare Rubrum, » etc.

DESCENDIT — ex montibus Zabulon (erat enim

Jonas Zabulonites) in quibus sita est Nazareth, de quibus Guelielmus Tyrius, lib. XXI *Belli sacri*, cap. xxvi. Inter hos montes unus est Thabor, in quo transfiguratus est Christus: vel «descendit,» id est abiit, profectus est, venit.

IN JOPPEM. — Portus est celebris totius Judææ. Hebraice vocatur *Japho* (unde hodie *Jaffa* dicitur) «ad quem, ait S. Hieronymus, Hiram, rex Tyri, ligna de Libano ratibus perveherebat, quæ Jerusalem terrene itinere perveherentur. Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur littore, in quibus Andromeda religata Persei quondam sit liberata presidio.» Rursus Adrichomius, in *Descript. Terra sancta*: «Joppe, ait, quæ Japho dicitur, id est pulchritudo aut decor, urbs antiquissima a Japhet filio Noe ante diluivium condita, sita ad mare in edito promontorio (ex quo Jerusalem conspici potest) littore saxoso, alto et arduo, arce ac muribus munita valde. Portus autem impetuosissimus est, ob id ad excursus piraticos commodus: in quem usum, tempore Machabeorum, sæpe est occupatus. In hac S. Petrus Tabitham a morte suscitavit, Act. ix, 40, ibique legatos a Cornelio Centurione accepit, diciturque per visum non solis Judæis, sed et gentibus evangelizandam esse fidem Christi. Cinxit eam anno Domini 1230, Ludovicus, Francorum rex, turribus et muris, in eamque peregrinantes in terram sanctam primum appellunt.»

Fabula
Andro-
medæ
sumpta
ex Jonæ.

Arbitratur Sanchez sane probabiliter poetas et historicos Gentilium, ex historia Jone fugantis in Joppen, ibique a ceto sorpti, sed a Deo liberati, sumpsisse fabulam Andromedæ. Eam enim in Joppe alligatam fuisse saxo, ut a marina bellua voraretur, sed liberatam a Perseo belluam occidente, tradit non solum Ovidius, lib. IV *Metamorph.*, sed et Plinius lib. V, cap. xii, Solinus cap. xii *Polyhist.*, Mela lib. I, cap. xi, et alii. Simili modo ex diluvio Noe finxerunt diluivium Deucalionis, ait S. Justinus in *Apol. contra Gentes*. Sic Herculeum non alium fuisse quam Samsonem censet S. Augustinus lib. XVIII *Cret.* xix. Hinc illo fatalis crisis, in quo regni sors et stabilitas sita erat, quem filia Scylla dormienti patri Niso sustulit, et cum ea regnum ereptum patri ad Minoem patris et patriæ hostem delulit. Origenes, lib. IV *Contra Celsum*, asserit Platonem fabulas suas de hortis et campis Elysiis, de formatione hominis, de serpente, quas tradit in *Symposio*, ex Genesi Mosis mutatum esse. Clemens Alexandrinus, lib. II *Stromat.*, docet quod Minos, legislator Græcorum, quem dicunt novem annis cum Jove familiariter esse versatum, non alius sit quam Moses, qui in Sina cum Deo colloquens, ab eo legem accepit. Sic Noe finxerunt esse Janum bicipitem, qui duo vidit sæcula, et quasi duos mundos; eundem transformatum in Bacchum, eo quod vilem et vinum invenisset. Ex Lucifero e cælis dejecto, formarunt Aien a Jove celo depulsam, quæ res humanas turbaret et everteret.

ET DEDIT NAULUM EJUS — navis, q. d. Dedit pretium nautis pro usu navis quæ vehebatur, puta solvit stipendium vecturæ, «quasi transfretare posset a Deo,» inquit Tertullianus lib. *De Fuga*, cap. x, ubi perperam ex fuga Jone, e qua retraxit eum Deus, probat non licere fidei fugere in persecutore. Aliud enim est fugere Deum, quod fecit Jonas; aliud fugere tyrannum et persecutorem, quod fecerunt Apostoli et martyres.

4. DOMINUS AUTEM MISIT VENTUM MAGNUM IN MARE, ET FACTA EST TEMPESTAS. — Ecce quomodo comprehendit Deus se fugientes in fuga, sapientes in suis consiliis, peccatores in suis conceptibus et peccatis, eosque ad se retrahit et reverti cogit. Putabat Jonas in mari invenire quietem, et ecce comprehendit eum tempestas a Deo immissa adeo valida, ut dicat Scriptura: «Et navis periclitabatur contereri,» ex allisione ad fluctus confringi, et, ut Septuaginta, *διεσπάρηται*, id est *dissolvetur*; Pagninus, et navis *putabatur contereri*, conterenda; Tigrinus, *ita ut cogitare quispiam posset navem esse conterendam*; Hebraice ad verbum est, et navis *illa cogitabat contereri*, id est, qui ea nave vehebatur putabant se statim facturos naufragium. Ita Vatablus. Huc spectat illud Poeta:

Pallasæ exurere classem
Argivum, atque ipsos ponti submergere ponto,
Ubius ob noxam, et furias Ajacis Oilei?

5. ET CLAMAVERUNT VIRI AD DEUM SUUM, — q. d. Vers. 7.
Quisque invocavit deum suum. Erant enim in navi de more homines diversarum regionum et religionum, puta ex variis gentibus quæ varios habebant deos; quisque ergo sum suæque gentis deum in tanto periculo inelamavit. Nota hebraicis: *וַיִּקְרָא יִשְׁרָאֵל*, id est *vir*, capitur pro *quisque*, et distributionem significat.

Tropologicæ, notat S. Hieronymus non tantum Jonam puniri, sed et nautas, eo quod Jonam receperunt. Sic et hodie qui apostatas a fide vel Ordine receperunt, cum his pariter puniuntur. Disce hic quam noxia sit peccatorum societas. Sic S. Ambrosius serm. *De Cathed. S. Petri*, docet Apostolos iactatos fuisse tempestate propter Judam: «Tranquillitas, ait, est ubi solus Petrus navigat; tempestas, ubi Judas adiungitur: licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Unus igitur delicti comotorum merita quassabantur.» Atque hinc tam crebra sunt naufragia, ob peccata vectorum, presertim que in navi committuntur.

ET MISERUNT VASA (puta merces et onera que erant in vasis) IN MARE, — ad navem alleviandam. Hebraice, *ut alleviaretur ab eis*. Hoc est quod ait Poeta: «Decidere iactu cepit cum ventis.» Vere S. Chrysostomus, hom. 1 *De Pontic.* «Nautæ, ait, iactum fecerunt, navis vero nequam alleviatur.» Quare? «quia nihil tam onerosum et grave, quam peccatum et inobedientia.»

Et JONAS DESCENDIT AD INTERIORA NAVIS (quasi ad locum secretiorem et tulinorem): ET DORMIEBAT SOPORE GRAVI, — partim ex fatigue itinervis, quod fecerat veniendo ex Zabulon in Joppen, partim et magis ex animi dejectione et morore. Sensit enim Jonas remorsus conscientie de fuga sua, quasi Deus illum persecueretur, puniret et comprehenderet: unde ut hos remorsus evaderet et sopiret, dedit se sopori. Mala enim conscientia parit mororem, moror somnum: somnus enim mororem sepelit, cum ejus cogitationem et sensum admittit. Hinc Apostoli, Christo eum ad passionem, præ tristitia sopore correpti sunt, *Math.* xxvi. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus et Hugo. Audi S. Hieronymus: «Conscius erat fugæ et peccati quo Domini præcepta neglexerat, et tempestatem ignorans contra se severe cernebat, ideo descendit ad interiora navis, et tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus adversum se videret intumescere.» Tropologicæ, idem: «Sopor, ait, Jone gravissimus, hominem significat erroris sorem torpentem, cui non succederat fugere a facie Dei, nisi quadam recordia meas illius obruta ignoraret iracundiam Dei, et quasi securus dormiret, et profundissimum somnum roucha nare sonaret.» Peccator ergo veterum dormit, ino lethargum: hunc enim illi peccatum inducit. Unde Christus illi inelamet oportet: «Lazare, veni foras.»

Allegorice, somnus Jone representat somnum Christi in navi, orta tempestate, a quo excitatus ventis imperavit et mari, *Math.* viii. Ubi S. Hieronymus: «Hujus signi typum, inquit, in Jona legitur, quando ceteris periclitantibus ipse securus est, et dormit, et suscitatur, et imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes.» Licet enim Jonas, qua homo fugiens Deum, typus esset peccatoris; tamen idem qua Propheta, tam acis quam verbis typum gerebat Christi.

7. MITTANS SORTES. — Notant S. Hieronymus, Theodoretus, Renigius et Lyranus nautas misisse sortes, quia videbant maris perili tantam tunc repentinam in malacia marique quieto tempestatem non esse naturalem, sed subito a Deo immisam sine prævisis signis, præter cursum et ordinem ventorum, siderum, temporis, aliarumque causarum secundarum et naturalium; alioque enim ad sortes non venissent, si causas naturales esse cognovissent.

Unde moraliter ex Jona hic diseant nautæ et vectores, procellas sæpe a Deo immitti ob scelera quæ in navi fiunt, aut antea facta sunt, Ita Bias, navigans cum sceleratis, dum periclitarentur in summa maris tempestate, aliis deos implorantibus, ait: «Sileto, ne vos hic navigare sentiant dii,» et refert Laertius lib. I, cap. vi. Idem cum pessimis navigans incidit in piratas. Dicentibus illis: «Peribimus, si agnoscamur.» «At ego, inquit, nisi agnoscamur, peribo.» Quocirca Plato

asserbat «fugendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum.»

Notat *secundo*. S. Thomas II, *Quæst.* xcv, art. viii, triplicem esse sortem. *Prima* est divinatoria. Hæc licita est, et adhibenda quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in re aliqua vel utili, vel difficili debet præferri. Sic fratres hereditates dividunt sorte; sic milites invadunt oppidum iacta sorte, que gens vel acies primo invadere debeat. Sic principes in rebellionem, cum multi sunt rei capitis, dat sortem, ut in quos sortis ceciderit plectantur in exemplum reipublicæ, cæteris pareat. Huc spectat contractus sortium, qualis est in lusu aleæ. Sic S. Augustinus, *epist.* 180, scribit sorte eligendum sacerdotem, qui tempore pestis vel persecutionis in urbe maneat, et fidelibus res sacras et sacramenta conferat, scilicet si cetera sint paria, vel aliter res hæc non possit commode decidi: unde in beneficiis Ecclesiasticis illicita est sors; hæc enim non sorte, sed maxime idoneis sunt danda. Similis est ratio officiorum secularium; unde et Aristoteles, lib. I *Ethicor.*, carpit Athenienses, eo quod magistratus sorte crearent.

Secunda est consultoria, qua per sortem inquiritur divinum consilium, ut sciat quid in negotio obscuro sit agendum; nam si eventus a casu expectetur, sors hæc divinatoria erit potius, quam consultoria, ut patet in exemplis jam datis; nemo enim casum consulit. Consultoria illicita est: perinet enim ad tentationem Dei, nisi Deus inspiret (aut aliis mediis humanis deficientibus necessitas cogat suadeatque invocato suppliciter Deo) illa utendum, et sequi illum directurum, et per illam voluntatem suam declaraturum; ut factum est cum Saul in regem sorte electus est, *I Reg.* x, 20, et Malchias in apostolum, *Act.* i, 26. Plura vide apud P. Lessium, lib. II, cap. XLIII *De superstitione*, dub. 9, et Delrio de Magia, tractat. *De Divinat. ex sortibus*.

Tertia sors est divinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis future, vel presentis, sed arcane et occultæ, qualis fuit hæc, qua quærebatur causa, et reus hujus procellæ et tempestatis. Hæc pariter illicita est, ni Deus inspiret ea utendum, et per eam rem futuram vel arcanam indicare velit; ut indicavit furtum Achan per sortem, *Josue* vii, 14. Unde sortes hæc, sive sortilegia, æque ac aliæ divinationes et incantationes damnantur, cap. I *De sortilegiis*, et xxv, *Quæst.* v, cap. *Sortes*. Cum enim hic occulta veritas non queratur, nec accipiatur a Deo, sequitur eum queri et accipi a demone. Ubi dupliçiter peccatur. *primo*, quod inear commercium cum demone, isque quasi doctor consultatur qui mendax est et pater mendacii; *secundo*, quod in futuris tribuat demoni prenotio futurorum, que soli Deo est propria: unde demon tunc tacto quodam pacto et consensu invocatur, tum ut sortes regal, et per eas quid futurum sit presignificet; tum ut effectum presigna-

tum reipsa compleri procurat. Sic apud Suetonium et alios legitur sortes Domitiano Casari interitum denunciasse; Alexandro Severo autem nil tale speranti imperium: sorte enim illi hi versus Virgilio, VI *Aeneid.* exierunt:

1. In regere imperio populos, Romane, memento.

Talis fuit Pythagorica sors antiquissima, per quam victoria, vita, mors, fausti infastique eventus circinabantur per numerum nominum. Ille enim cuius nomen habebat litteras plures majoris nunc numeri indices, praedicebatur fore victor; victus vero ille, cuius nomen pauciores litteras et minoris numeri indices continebat. Sic Patroclum ab Hectore vincendum, et Hectoram ab Achille superandum, numeris nominibus eorum inclusis divinatum est, uti canit Terentius: imo quod mirum est, id ipsum habetur apud Venerabilem Bedam, tract. *De Divinat. mortis et vitae*, qui habetur in fine tom. I operum illius, ubi haec de re multa et mira, non credenda, nec praedicanda, utpote vana et superstitiosa, recensentur. Quare soleriter advertendum est hunc tractatum non esse Venerabilis Bedae, sed Petrosyrii (genilis astronomantis, ut videtur) qui eum conscripsit et misit ad Neepsum regem Aegypti, ut habet ejus inscriptio. Forle hic tractatus inventus fuit in scrinio Bedae; unde illi ab operum ejus compilatore adscriptus et assutus est.

Nota tertio, licet sors haec nautarum fuerit superstitiosa, ut jam dixi, Deus tamen illam, licet malam, disposuit et ordinavit in bonum; ita enim eam temperavit et direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, et culpam agnosceret, ac ad Deum rediret. Ideo enim excitavit tempestatem, ut iacta a nautis sorte Jonas quasi ejus causa et reus caperetur. Simili modo direxit sortes, vel potius omen superstitiosum, quod captabant Philistaei I *Reg.* VI, 9, dicentes: Si vacet arcam Domini vehentes ascendant contra Bethsames, Deus Hebraeorum hanc morborum plagam nobis inflixit; sin autem minime, sciemus quia casu accidit. Fecit enim Deus ut vacae tenderent versus Bethsames: quo facto crediderunt Philistaei non casu, sed a Deo sibi plagam immisissam. Simili modo, cap. xxviii, 15, cum Saul consulere Pythionissam, fecit Deus ut in ejus praestigis compareret Samuel, et Saul interitum instantem praediceret. Causam dat S. Chrysostomus hom. 3 *in epist. ad Titum*, quod Deus sortilegos et sacrilegos voluerit suis sortibus et omnibus revincere, eaque in ipsorum caput retorquere, imo ipsorum accusatores consistere. « Deus, inquit, eos (Philistaeos) suo ore corripuit atque redarguit. Hoc ipsum et in Pythionissa muliere dicendum est; quia enim ei fidem adhibebat, ideoque per hanc Saul audire fecit quod se comprehensura essent mala. » Et S. Hieronymus, « Fugitivus (Jonas) sorte deprehenditur non viribus sortium et ma-

xime sortibus ethnicorum, sed voluntate ejus qui sortes regebat incertas. »

Porro sortibus et sortilegis etiamnum crebro utantur nauta infideles et ethnici. Testimonio sit S. Franciscus Xaverius, qui describens iter suum Japonicum epistola prima quam ex Japone dedit ad Socios Goam, anno Domini 1548, 3 nonas novembris, quae habetur lib. III *Epist.* ejus ordine quinta: « Molestissime ferebamus, inquit, quod navicularius et nauta sortibus demonem identidem consulenter, utrum ex usu esset in Japoniam pergere necne; et simul exquirent an secunda navigatione cursum tenere possemus, et sortes modo laete, modo tristes edebantur. » Ac post multa de hisdem, cum narrasset navarchi filiam in mare jactatione navis excussam ac submersam, subdit: « Inde Barbari ad idolum sacrificiis placandum versi, diem noctemque totam maetandis avibus apponendisque idolo epulis consumperunt. » Discite hic sortibus jungi solere sacrificia ad conciliandum idolum, id est demonem qui consulitur et rogatur ut per sortes respondeat. Pergit Xaverius: « Tum navarcho cur filia sua interesset sortibus percontanti, sors editur: si Emmamel noster in senilina perisset, ejus filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profecto quantum in periculo versaremur, quorum vita ex diaboli sortibus penderet, ejusque satellitum voluntate. » Remediis deinde hisce usum se scribit. « Septius a Deo precatus sum, etc., ut communi hosti illarum superstitionum auctori graviores constitueret cruciatu, quoties navarchum ad sortes ducendas atque ad se pro Deo colendum impelleret. » Et paulo post: « Certissimum praesidium est, ut contra hostem magno praesentique sis animo, tibi penitus diffidens et fretus Deo, ut videlicet in illo spes omnes ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, ut tali ac tanto defensore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris. Septius enim mihi munitatis denuntiabat venisse tempus ulciscendi doctores sui. Verum cum nihil ille nocere cuiquam possit, nisi quoad Deus ipse permittat, magis eo tempore dei diffidentia timenda est, quam impensio inimici. » Adhuc Deum permittere diabolo, ut tentet timidos et diffidentes, non autem animosos et fidentes Deo, quibus omnem vim sortium et demonis infringit, eaque ita dirigit ut suae gloriae et suorum commodis serviant.

ET CECIDIT SORS SUPER JONAM. — SYSTUS: *Et ascendit sors Jonam*, v. g. chartula, nomine Jonae inscripta, primo educta est ex terra. Sic allegorice milites sorte diservunt vestem Christi, ait S. Augustinus lib. IV *De Symbol. ad Catechum.* cap. vi.

8. INDEA NOBIS CUIUS CAUSA MALUM ISTUD SIT NOBIS VESTI (cur venio et procellis hisce jactemur, et tantum non obruamur). QUOD EST OPUS TUUM? QUAE TERRA TUA? — *g. d.* Indica nobis quid operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quo abire

festines? « Notanda brevitatis, » inquit S. Hieronymus, « quam admirari in Virgilio solebamus: »

Juvenes quae causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis, inquit,
Quae gens? unde domo? sciamne huc fertis, an arma?

« Interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognoscatur et causa discriminis, » puta periculi. Dicunt ergo: « Quod est opus tuum? » exercens usuras, rapinas, magiam, aut similem artem illicitam, qua tibi numen infestum reddideris? esse sacrilegus, atheus, magus, praedo, fenerator, etc. « Quae terra tua? unde venis? » *g. d.* Venisse ex scelerata aliqua regione, cui dii marini ventique, aut caelum ipsum, aut sidera pertinaciter infesta sint, atque ita tu divino erga regionem tuam odio laboras? An populi tui fato vexaris, cui caelum adversam navigationem et difficillimas tempestates semper pareat? An vero tu patriam tuam diis charam improbe deseruisti, vel nefarie violasti, aut prodidisti, ejus sceleris penas a te superi exigunt? « Ex quo populo tu es, » ut ejus populi crimine, aut fortuna, aut odio tu primum, et nos deinde tui causa affligamur? Omnis enim haec nautarum inquisitio eo spectat, ut Jonam ingentis alicui sceleris aut privato, aut publico obligatum esse suspicentur; sive illud sit Jone, sive patriae et populi, quod ea tempestas ulciscatur. Ita Arias.

Vers. 9.

9. ET DIXIT AD EOS: HEBRAEUS EGO SUM, — *g. d.* Genere et gente Judaeus sum, non gentilis. Hebraei nomen, inquit Arias, impositum est familiae suae a Semo Noe filio, cum ipse, trajecto Euphrate fluvio, novas sedes sibi quaesivit. Unde de eo dicitur *Gen. x, 21*: « De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber. » Secundo, alii ab Heber patre Phaleg, cujus tempore facta est divisio linguarum, cum in ejus familia remansit usus linguae hebraeae, Hebraeos dictos esse censent. Verum non omnes posteri Heber, et nullo minus Sem, diei sunt Hebraei, sed tantum il qui per Abraham descendunt. Tertio, ergo melius alii censent Abrahamum dictum esse Hebraeum, id est transiorem, eo quod a Chaldea, transito Euphrate, in Chanaanem commigravit: unde primo omnium illi hoc nomen tributum est *Genes. xiv, 12*. Ab Abraham ergo posteri vocati sunt Hebraei, aequae ac Abrahae. Fuit hoc nomen olim gloriosum; unde Apostolus II *Corinth. xi, 22*: « Hebraei sunt, et ego: Israelite sunt, et ego: semen Abraham sunt, et ego: » Christus enim fuit Hebraeus, B. Virgo et Apostoli, primique Christiani fuerunt Hebraei.

Tropologicae Arias: Jonas confessus est se esse Hebraeum, id est pretereuntem, id est transgressorem legis et voluntatis divinae. Rursum Hebraeum, id est peregrinum et viatorem, qui continuo tendit ad mortem, et per mortem ad immortalitatem. Chaldaeus et Septuaginta pro *ר* legentes *ד*, puta *קורי דורי*, id est Hebraeus, legentes *קורי* addi, vertunt: *Servus Domini ego sum.*

ET DOMINUM DEUM COELI (pro Deum braice est tetragrammaton *Jehova*, *g. d.* Ego non idola, sed ipsum verum Deum Hebraeorum Hebraeus) TIMEO, — id est colo. Nota: In Scriptura cultus dei vocatur *timor*; et *timere Deum*, est cum colere, tum quia primus « in orbe deos fecit timor; » tum quia summa Dei majestas maxime a nobis timorem et reverentiam exigit. « Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » *Malach. i, 6*. Timor enim non servilis, sed filialis includit amorem et reverentiam Dei quasi summi Domini et patris nostri.

QUI FECIT MARE ET ARIDAM, — qui est Deus verus et solus, utpote universi creator, et dominus coeli, maris et terrae; qui proinde hanc tempestatem et procellam e coelo, acri, mari et terrae induxit; potensque est nos mari mergere, aequae ac terra delibescere nos absorbere; eam autem induxit ob meam inobedientiam et fugam. Hanc enim eis indicasse Jonam, patet ex eo quod sequitur: « Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugerit, quae indicaverat eis. » Illa enim verba hic spectant. Unde et sequitur:

10. ET TIMEBUNT VIRI TIMORE MAGNO, — tum quod Dei potentiam et vindictam a Jona expositam pertimescerent, praesentim quod quisque sibi conscius esset se eam saepe offendisse et irritasse; tum quod non tam metuere, quam oculis cernerent, quod Deus hic tam potens et offensus, Jonam fugientem insequeretur, eumque in navi sua comprehenderet: verebantur ergo ne et ipsi quasi receptatores Jone, cum eo pariter a Deo comprehenderentur, punirentur et mergerentur. Sic enim dum praetor furem et latronem insequitur, domumque quam fur ingressus est invadit, hospes et omnes qui in domo sunt metu percelluntur, ne simul cum fure a praetore quasi socii et complices capiantur et plectantur. Multo enim magis idipsum timendum est apud Deum, qui subinde etiam in populo innoxio peccata aliorum ocella puniunt et ulciscitur: uti furtum ocellum Aechan punivit in toto populo Hebraeorum innoxio et innoxio, permittens eum cedi a Chanaanitis, quia « anathema in medio tui est Israel » (sic et in te, o nauta et nauta, puta Jonas), *Josue* cap. vii, 13. Ita S. Hieronymus. « Historiae, inquit, ordo praeposterus est. Quia enim poterat dici: Nulla causa timoris fuit ex eo quod eis confessus est dicens: Hebraeus ego sum; et Dominum Deum coeli timeo, qui fecit mare et aridam; statim subnectitur, quod idcirco timeverunt, quia eis indicaverat se Domini fugere conspectum, et ejus non recesse praepcepta. Denique causantur, et dicunt: Quid hoc fecisti? id est si times Deum, cur fugis? si tante potentis praedicas quem colis, quomodo te putas posse evadere? » Et rursus: « Timeant autem timore magno, quod intelligunt sanctum et sanctae gentis virum; de Joppe quippe solventes funem, Hebraeus gentis noverant privilegium, et tamen fugitivum celare

non possunt. Magnus est qui fugit, sed major ille, sed mutandus esse mores pravos; hi enim vulnere causam dederunt.

Vers. 11. 11. ET DIXERUNT AD EUM: QUID FACIEMUS TIBI? — « Rogant, inquit S. Hieronymus, ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat: si culpa est quod te suscepimus, quid facere possumus ne Dominus irascatur? quid faciemus tibi? hoc est, interficiemus te? sed cultorem Domini servabimus? sed Deum fugis; nostrum est præbere manus quid fieri jubeas; tum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo tumore testatur. »

ET CESSABIT MARE, — id est ut cesset. Est hebraismus.

QUIA MARE TRAT ET INTUMESCAT, — « ut ostenderet ultionem Creatoris se differre non posse, » ait S. Hieronymus, et S. Chrysostomus hom. De Jona: « Sicut, inquit, servus fidelis videns mancipium fugere, insequitur, nec quiescit donec illud apprehendat, reducat, et præsentet domino: sic et mare fugientem Jonam persequitur, nec cessat donec eum capiat, et Deo dedat. »

Vers. 12. 12. ET DIXIT AD EOS: TOLLITE ME, ET MITTITE IN MARE. — Nota hic primo, Jonæ charitatem magnanimam, qua, ne alii pereant: item penitentiam, qua ut Deo offenso satisfaciat, ipse solus perire cupit. Ita S. Hieronymus. Secundo, Jonam hæc dixisse ex instinctu Dei, quo sciebat Deum velle ut quasi piaculum et lustramentum mitteretur in mare; ideo enim a Deo tempestatem hanc esse excitatam. Hoc est enim quod ait: « Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc, » etc. Alioqui enim nisi Deus eum ut fugitum ita sibi dedi poposcisset, nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se mergendi et occidendi dare. Porro volebat Deus Jonam in mari mergi, quia fugiens Deum ad mare confugerat; mare tibi, o Jona, fuit in votis, mare pariter sit tibi tortor: in quo enim quis peccat, in eo et punitur. Allegorice tamen causa potior fuit, scilicet ut representaret Christi passionem et resurrectionem, de qua mox plura.

Audi S. Chrysostomum hom. 3 ad Pop.: « Jonas fugiebat terram, et Dei iram non effugebat. Fugiebat terram, et in mare tempestatem induxit; nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperunt in extremum periculum adduxit: ut discas quod, sicut in peccatis viventi neque navigium prodest, sic peccato exitum neque mare perdit, neque bestie consumunt: verum et animal, et elementum incolume depositum Deo reddiderunt, et per omnia dicebat Propheta esse mansuetus et humanus, et neque stultus nautis, neque feris undis, neque bestiis crudelior esse. Rediit ergo, prædicavit, minatus est, persuasit, salvavit. Propterea ipsum non statim de navigio ad urbem perduxit, sed nautæ mari tradidit, mare ceto, ceto Deo, Deus Ninivitis, et per longum circuitum profugum reduxit. » Vide sequentia, ubi pulchre docet peccatori non

fugiebat esse a Deo, quia effugere est impossibile, sed mutandus esse mores pravos; hi enim vulnere causam dederunt.

Hoc Jonæ exemplum imitatus est S. Gregorius S. Nazianzenus; cum enim in Concilio Constantinopolitano orta esset dissensio inter episcopos Aegyptios et Orientales, illis electionem Gregorii in Patriarcham Constantinopolitanum impugnantibus, his defendentibus; ipse synodum ingressus, cohortatus est omnes ad pacem, ejusque causa quasi alterum Jonam devovere se mari, et patriarchati renuntiare liberaliter obtulit, quod et ingenue præstitit. Audi eum in carn. De Vita sua:

Ego vero Jonæ faciens excolem emulor:
Me pro salute do habens nostræ salutis,
Licet excitati turbis causa haud siem:
Nos sorte captos mergite insano mari,
Nos hospitalis cæus excipit: sit hoc
Concordiæ vobis initium; latitudinis
Locus hic vocetur, splendidiore hic surgat mihi.

Alludit ad similem cessionem puteorum, quam Geraritis fecit Isaac Genes. xxvi, 32, qui proinde tertium puteum pacificum vocavit *latitudo*.

Allegorice S. Hieronymus: « Apostoli, ait, deserentes in passionem Christum, quodam modo in fluctus precipitabant. Iste Jonas dicit: Scio quia propter me tempestas grandis est super vos, quia me vident ventu vobiscum ire in Tharsis, id est ad contemplationem lætitiæ navigare, ut vos perducam ad gaudium, ut ubi ego sum et Pater, ibi et vos sitis. Idcirco seviunt, idcirco mundus fremit, me cupit devorare mors, ut vos pariter occidat, et non intelligit quia velut in hamo escam capit, ut mea morte moriatur. Tollite me et mitte in mare, tempestas que propter me sevit contra vos, me moriente, sedabitur. »

Vers. 13. 13. ET REMIGABANT VIRI, UT REVERTERENTUR AD ARIDAM. — Nota hic pietatem nautarum: nam, ne Jonam, licet id indicantem et se offerentem, mergant, petunt litus in quod eum exponant; itaque et ipsi, et sibi consulant. Propterea, ait S. Hieronymus, « nitebantur reverti ad terram et effugere discrimen, ne sanguinem funderent, magis volentes perire, quam perdere. » Verum cum vident se fluctus oblectantes non posse vincere, sed ab iis vinci, agique rem de omnium vita, satius dicunt unum Jonam perire, quam omnes. Mittant ergo eum in mare, sed antequam id faciant, veniant a Deo precantur. Dicunt ergo:

14. QUÆSUMUS, DOMINE, NE PEREAMUS IN ANIMA VIRI ISTIUS (a), id est, ut Septuaginta, propter animam, id est vitam, Jonæ, quem mergimus et perdimus; sed inviti, coacti, et ab ipso quem perdimus jussi. Unde explicando subdunt; ET NE DES SUPER NOS SANGUINEM INNOCENTEM, — q. d. Ne imputes nobis quod istum innocentem conjecerimus in mare: licet enim nobis sit innocens, nostrumque neminem læserit, tibi tamen est nocens: tu enim per sortes eum sentem declarasti.

Vers. 15. 15. ET TULERUNT JONAM, ET MISERUNT IN MARE. — « Non dixit, inquit S. Hieronymus, arripuerunt; non ait, invaserunt; sed tulerunt, quasi cum obsequio et honore portantes miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati. » Addit Arias ex Eleazaro quid memorabile: « In Eleazari, inquit, antiquissimi divinatorum librorum interpretis tractatu, qui circa etatem Christi scripsisse dicitur, quantum hoc periculum a viris illis factum traditur, quo divinum de ea re consilium diligentius exquireretur. Nam post privatas deorum invocationes, post jacturam factam, post eductas sortes, post orationem et deprecationem communiter susceptam, illud postremo sepius tentaverunt, ut sublatum Jonam in mare usque ad collum demitterent, rursusque ad sese in navim reciperent; evenisse vero ait, ut quoties missus esset, mare conquiesceret; cum autem receptus, rursus fremere et intumescere sentiret: quo signo divinæ voluntatis certiores facti, Jonam tandem in mare coniectum penitus miserere. » Nautarum sollicitudo in liberando Jona facit idipsum probabile et credibile.

ET STETIT MARE A FERVORE SUO, — cessavit a suo aestu, timore et fluctibus, « quia invenerat quem querebat, inquit S. Hieronymus, velut si quis persequatur fugitum, et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desinit currere, et stat ac tenet quem apprehenderit: ita et mare quod absente Jona irascerebat, in visceribus suis desideratum tenens gaudet et confovet, et ex gaudio tranquillitas redit. » Sic allegorice, inquit, Chri-

sto in mare passionis projecto, stetit fervor idololatricæ omnisque erroris, rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia, et gentium conversio ad Deum: sicut ergo Jonæ submersio navis est relevatio; ita Christi interitus, mundi est salus.

Nota: Licet cesset ventus, « sed tandem a vento qui fuit, unda furit: » ita hic post ventum furebat mare, donec injiceretur Jonas; quo injecto, illico quievit, ut indicaret tempestatem hanc divinitus excitatam pariter et sedatam, propter unicum Jonam.

Vers. 16. 16. ET IMMOLAVERUNT VIRI TIMORE MAGNO DOMINUM. — q. d. Hoc maris astuantis et illic sedati miraculo nautæ Deum illius auctorem cognoverunt, scilicet Deum Jonæ et Hebræorum esse verum Deum, ad ejusque fidem, timorem et cultum conversi sunt. Ita Hugo, Lyranus et Arias.

ET IMMOLAVERUNT HOSTIAS (non tantum spirituales precum et gratiarum actiones, ut censet S. Hieronymus, sed etiam corporales: mox enim post Jonam in mare missum, appulerunt ad litus, ibique hostias Deo Hebræorum immolaverunt. Insuper) VOVERUNT VOTA, — offerenda in templo Hebræorum Hierosolymæ, juxta legem et ritus quos a Scribis ibidem erant perquisituri: nec enim a Jona jam misso in mare eos discere poterant. Ita Theophylactus et Hugo. Quare non dubium omnes hos nautas hoc miraculum, Deumque ejus auctorem deinceps tibi locorum prædicasse et celebrasse. Hinc aliquis suspicari posset nautas hos Deum Hebræorum colentes suscepisse judaismum, et factos esse proselytos.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonas missus in mare sorbetur a ceto; ibi pulchro carmine Deum invocat et laudat, cujus proinde jussu tertio die evomitur in aridam.

1. Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam: et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. 2. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis. 3. Et dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam. 4. Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt. 5. Et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. 7. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluderunt me in æternum: et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. 8. Cum angustia- retur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino, 11. Et dixit Dominus pisci: et evomuit Jonam in aridam,